



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Lavrentivs M. 10. Augusti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

S. LAVRENTIVS M. 10. Augusti.

DVcebatur ad mortem Sixtus Pont. Max. & ecce LAVRENTIVS expoſtulare cum hoc cœpit, non quòd ad præmia iret, ſed quòd ſine filio pater iret. Enimverò qui ad aram ſocius fuerit, ad crucem ſe futurum. Ad hæc Sixtus: ſuum eſſe præire, miniſtri ſequi; ſuum, hæredem vitæ relinquere, cuius ſi fuiſſet, propediem etiam mortis futurum; theſauros interim Eccleſiæ tyranni manibus ſubduceret. His lætior LAVRENTIVS conſeſtim oſpes omnes ſacras in pauperum ſinus abdit, hi cælo condunt. Valerianum deinde hiantem & inhiantem ad templum ducit, & pauperem longo ordine de ponte gregem monſtrans, hi inquit, theſauri, quos orbis habet, ſunt maximi. quin tu hos ambis avarus, hos fovet, & ſi ſapis, his tuum etiam jungis ararium. Hic Imperator virgas, flagra, ignes inſclamare, & hæc omnia cõtinuò LAVRENTIO carnifices admovere, ut jam abeuntem animam Deo Martyr commendaret. Sed è Cælitibus adſuit, qui ſudorem Athletę & ſanguinem linteo abſtergeret. Tyrannus interim os LAVRENTII ſaxis, hic verò aures tyranni verbis liberrimis pulſavit. Ad extremum craticulæ ſuper injectus, & lento igne toſtus, non tamẽ inſultare
Va-

Valeriano destitit, sed subinde arridēs illi, *verte* exclamavit, & *manduca*. Et ille quidem hoc epulo indignus fuit. At celi, quos jam dudum odor nobilissimi convivii exciverat, ad se tam nobile ferculum rapuerunt, & convivas, si modo placet, etiam nos habere peroptant. *Ex Lip. & Baron.*

S. ALEXANDER EP. 11. Aug.

IN uno vultu & Philosophum & Carbonarium & Episcopum & Christi Martyrem agnosce. Poterat equidem ALEXANDER inter sapientiæ candidatos facile princeps esse, cum ipsi jam honores suum clientem ambirent. Sed maluit ille honestiore ambitu sordidatus calum prensare & inter silvas abditus, quibus stultissima mundi vota notaret damnaretque, carbones facere. Interea advenit Gregorius Pont. (is qui à magnis mirisque factis nomen habet) Comanis Præsulem daturus. Hic cum omnium vota in opulentos & genere ac clientelis nobiles spectaret, unus Gregorius virtutem potius ait in solium extollendam. ubi ubi demum illa etiam sub lacero pallio latitaret. Quin igitur (cum risu è turbâ nescio quis subdit) dictatore ab aratro nobis, aut certe à carbonibus suis ALEXANDRVM adduci imperas splendentemque jam antè à rogo suo infulâ insuper
exor-